

ut experiuntur viri cœlibes. Facit ergo, juvante uxori ad ditandum maritum. Neque solum hoc, sed preterea inservit et assistit illi in necessitatibus. Nam ut ait Eccl. c. IV. « Melius est duos esse simul, quam unum: habent enim emolumen societatis suæ. Si unus ceciderit, ab altero falecetur. » soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se. Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistent ei. » Habent ergo, ut dixi, mei suum conjugati: non tamensine aculeis apum, quæ simul cum melle illo repertere fuerunt a Samsone in ore leonis. Possunt enim sibi auxilium ferre, si industria et concordes sint: possunt et perniciem afferre, si ignavi et discordes sint. Unius enim calamitas etiam alterum affigit: et si ambo calamitosi sint, quis assistet illis? Sint ergo uterque sepes et vallum domorum suarum, nisi pro melle aculeos experire velint. Hæc et alia plura incommoda expendentes ii, qui cœlibatum eligunt, non emunt tanti pœnitere.

III. Est proles hæc prædulce mel: quæ et ipsa tamen multum sœpe fellis parentibus propinat. Nam, ut ait Sapiens, Proverb. X. *Filius sapiens lætitificat suum patrem: filius vero stultus mæstitia est matris sue.* Et rursus c. XV. *Filius sapiens lætitificat patrem, et stultus homo despicit,* h. e. (despici facit) matrem suam. Quis autem est filius sapiens, nisi qui honesti tenax? Quis stultus, nisi qui corruptis moribus? Optimus ille filius Isaac, Jacob, dulcissimum mellis favum attulit parentibus (quemadmodum et Samson partem favulit patri et matri) quando se morigerum et innocentem exhibuit. Unde pater cum gaudio in ejus benedictionem prorupit hisce verbis: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus,* Gen. XXVII. Fuit autem hic odor non tam vestimentorum, quam virtutum, quæ in filio redolebant, quasque exponit S. Ambrosius, I. II. de Jacob et vita beata, c. I. « Quam continens erit parcimonia, qui cibum sibi paratum non expetivit, sed petenti patri sine dilatatione concessit, a quo primatum benedictionis accepit? Quam pius erga parentes, ut præferri germano seniori, materno affectu mereretur et paternæ benedictionis munere sacraretur? Quam religiosus, ut fratrem recusaret laedere? Quam reverens parentum et honorificus, ut matri, quod jubebat, non posset negare? » Sic Ambrosius. Hæ sunt vestes filiorum, quæ recreant parentes: hoc mel, hie favus, qui dulciter illos pascit. Ita pavit patrem filius ille nobilis, qui nuper Lisabonæ cum maximo comitatu deduxit ad coenobium, et admirabilis alacritate mundo valedicens, religionique sese mancipans, tam

suavi odore patrem suum afflavit, ut is in lacrymas prorumpens diceret: *Alius jam nunc ero, novam instituam vitam, utique filii pater,* uti refert pater Fernandius, in cap. XXI. Gen. testis facta præsens. Sic etiam S. Augustinus quasi melleo favo recreavit matrem Monicam, quando non solum e Manichæo Catholicus, sed etiam religiosus factus est. Exinde mater jam nil amplius in mundo desiderans, mori exoptavit, in confess. S. Augustini.

Cæterum hoc mel sœpe in fel convertitur parentibus quando vident perverti filios, teste Salomon, Proverb. XVIII. *Dolor patris, filius stultus.* Id quod ipse in filio suo Roboamo quasi prævidens sensu; unde et dixit: « Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me quem nescio, utrum stultus an sapiens futurus sit, » Ecclesiast. II. Quid si scivisset stultum futurum et regnum perditurum?

Quare, o novi conjuges, omnem moveite lapidem, ut liberos, quos cum tempore habituri estis, in timore Dei educetis; atque ita mel suave ex ore illius leonis, qui tribulat vos extrahere et cum sposo cœlesti dicere possitis: *Comedi favum meum cum melle meo,* Cantic. V. Universim denique observeate diligenter id, quod Salomon, Proverb. XIV. monet: *Mel invenisti? Comede quod sufficit, ne forte satiatus evomas illud.* Omne nimium vertitur in vitium; et muscae quæ nimis avide mellis, involant in illud, inviscatæ hærent pereunte. Deinde mel sœpe continent intra se apes emortuas, quæ mel acerbum reddunt. Ita Sanctus Chrysostomus, homilia II. in Marcum: « Mel inquit, videtur hinc inde conjectum esse de floribus; sed si respicias inter ipsos flores, et cadavera et putredines habet. Mel igitur videtur quidem suave esse, sed discriberem respicias, mortiferum est. » Certe in melle conjugiæ cadaveræ etiam latent: jam moritur filius, jam filia, jam mater: o quantum hic fellis et amaritudinis! Quam ibi sepe auditur: *Beata steriles, quæ non pariunt?* Quapropter revocate in memoriam Balaami illius apogorum, de unicorni, qui insectus fugientem hominem, impulit in foveam altissimam plenam mortiferis serpentibus. Porro in ipso casu arripuit homo ramum fortiterque tenet, ne in foveam decideret: dum ita pendulus hæret, videt mellis aliquid e ramo defluere, quo se recreavit et vires refecit: cæterum vidi etiam superne duos mures album et nigrum ramo ad hærentes, dentesque infigentes, quo nimis ramum ab arbore resecarent. Refert D. Damascenus, in vita Balaam et Josaphat talis est vita vestræ cursus. Unicornis est mors, quæ fugien-

tem hominem undique persecuitur. Cedit homo in foveam, dum quotidie aliquid de vita sua perdit et morti appropinquat. Interim melle aliquo fluxuque temporalis vitæ dulcedine sese sustentat, sed ecce duo mures, dies et nox, albus et ater, vires corporis continuo debilitant, donec omnino resecant. Et quid vobis superest, nisi sepulcrum quod omne hoc mel absorbet? Memores igitur estote mortis, ne nimis satiati melle conjugali evomatis illud magno vestro damno, quod a vobis avertat Deus.

CONCIO XVII.

CONCORDIA INTER CONJUGES, VELUT SUAVIS LYRE SONUS, QUA RATIONE PARANDUS ET CONSERVANDUS, EX ANTIQUORUM SOMNIO.

Antiqui crediderunt, si quis nuptiarum tempore lyram in somnio vidisset, concordiam inter novos conjuges stabilendam per eam designari, teste Pier. I. XLVII. hierogl. Propterea quod lyra suis numeris constans concinnum sonum reddat: quemadmodum et in conjugio nihil suavius resonat, quam concordia conjugum, ut testatur S. Chrys. hom. XXXVIII. in Gen. in hunc modum: « Quando concordia et pax et vinculum dilectionis cum muliere et viro fuerit, omnia simul affluunt bona, et nullis insidiis expositi sunt, magno et inexpugnabili quodam muro circumdati, sua juxta Dei præceptum concordia. Hoc ferro fortiores eos reddet, hoc omnibus divitiis magis locupletabit, hoc supernam eis gloriam conferet, hoc et Dei benevolentiam eis ubertim conciliabit. Tunc et filii, qui nascentur, virtutem sequentur quos imitabuntur et servi et undeque domus florebit, eritque multiplex rerum prosperitas. » Ecce quantum bonorum cumulum prædictit hic sanctus pater conjugum concordiae! Felix igitur somnium, quo sponsus vel sponsa lyram istam somniat. Cæterum quam cito sœpe, et quam facile lyra hæc delirat, et hiulcum sœda edit? Patuit in Adamo et Eva primis omnium conjugibus. Et enim Adamus conspecta primum et adducta sibi uxore mox eam adamavit lætitiaque gestiens dixit: *Hoc nunc os eu ossibus meis,* q. d. apage animantia bruta. hoc mihi placet, quia mihi similis, Gen. II. Verum ubi ab uxore se deceput vidit; jam totus ab ea alienus, vix uxorem agnoscat; sed mulierem appellat, et velut ream nunc accusat, culpamque a se in ipsam demolitur. « Videamus nunc, inquit S. Ber. ser. I. in f. om. ss. quantum diligas eam: oppone te dis-

crimini propter illam, et dic: Domine mulier infirmior est, mulier seducta est, mea est iniquitas, meum peccatum, in me solum vindicta procedat. Sed non loquitur sic. Mulier, inquit, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno et coaudi, Gen. III. » Ecce dissidium: loquitur jam de uxore, quasi non novisset eam. Quare videamus, an qua ratione conservari in conjugio magnum illud bonum et sonus gratiosæ lyræ, concordia, inquam, possit.

I. Ad hoc conduceat, si vir uxoris postulatis, non inquis, facile annuat et infirmatagi ejus descendat; quo modo Abraham Saræ petenti, ut ancilla discordiæ causa e domo ejiceretur, placide consensit dicens: *Ecce ancilla in manu tua est,* Gen. XVII. Ubi D. Chrysost. hom. XXXVIII. ait: *Hæc in uxorem indulgentia pace domum replevit.* Deinde uxoris defectus toleret, multa dissimile, pauca notet ac perstringat. Qui enim nescit dissimilare, nescit regnare. Uxor etiam studiat viro assensum dare in quibuscumque rebus licitis. Audiant rursum Chrysost. hom. IV. in II. ad Titum: « Præcipuum, inquit, illud est domesticæ pacis ac bonorum omnium fundamentum, si uxor viro per omnia consentiens sit. Nam ubi hoc fit, nihil triste contingere potest. Quo pacto enim cum caput corpori connexum conjunctumque sit, ulla ibi seditio, ulla dissensio possit exoriri? Necessario profecto omnia reliqua in pace sunt. Principibus namque pacatis, quis jam pacem dividere possit ac dissidere? Quemadmodum e contra his invicem dissentientibus nihil salubre esse poterit totaque nutabit familia. » Scimus vulpes illas trecentas quas caudis colligavit Samson, capitibus in diversa tendentibus cum dimissæ fuerunt et seipsas perdisse et vastasse Philistinorum segetes, igne, quem in caudis gerebant hinc inde disperso, Jud. XIV. Idem agent conjuges, si carne solum colligati, animis sint discordes. Non enim seipsos dumtaxat remque suam familiarem disperdant, verum etiam totam domum ac domesticos omnes conturbabunt. Ignem hunc ipsi excitant, dum duris suis cervicibus inter se concurrunt. Quis enim nescit e chalybe et filis collisis ignem accendi.

II. Multum juvabit, si alter silere et cedere noverit, altero contendente vel tonante. Hac arte conservavit pacem et concordiam cum jurgiosa sua Xantippe Socrates. Invitarat is aliquando ad mensam Euthydemum, et intervenit Xantippe consuetis suis jurgiis et querelis contra maritum, mensamque evertit. Cernensid Euthydemus, cum indignatione surgit e mensa parans abitum. Cui Socrates: *Nonne nuper apud te idem fecit gallina*

involans in mensam me nihil indignante? Sic compositus Euthydemum, composuit et uxorem, ne verbum quidem obmurmurans ejus vesaniæ: sed loco solum occurrens, Plut. de cohib. ira. Eamdem industriam docuit vir quidam prudens feminam, quæ maritum ebrium, in domum revertentem et omnia rursum deorsum vertentem ferre non poterat, sed aerius objurgabat, indeque ad iracundias magis concitabat. Suasit enim ut in posterum, si rursum potus rediret domum vir, cochlear aqua (quam ei obtulit) plenum suumeret, et in ore tantisper retineret, donec virum super lectulum modeste composuisset, habitura pacem deinceps cum viro. Fecit quod jussa fuerat et obtinuit quod expetierat existimans vim placandi virum in aqua illa fuisse, cum in ejus silentio fuerit. Notent hoc mulieres, quæ sua ducitate et obloquendi pronitatem viri non solum dentes, sed et ungues in se armant dum instar illius porticus in Olympia (apud Plut.) *Septiroca* appellata pro uno viri verbo septem ei reddunt. idem Chrys. ho. XI. in I. ad Thess. V. pulchra similitudine docet: « Conviciatus est quisquam, ait? Vituperavit? Tu claudes os tuum. Si enim illud aperueris, concitabis magis ventum hunc. Non vides in ædibus, quando e regione ac directe duæ januae oppositæ sunt, et flatus vehemens irruerit, si alterum clauseris et respiratio prohibita fuerit, quomodo nihil valeat efficere flatus sed plurimum de robore ejus procedatur? Ita et hic duæ sunt januae, os tuum et os illius, qui te vituperat et probro afficit. Si tuum occluseris, et spirationem non dederis, omnem flatum istum extingues: si vero aperueris, effrænis redditur. » Sic ille. Sensit hoc contentiosa quædam mulier (apud Pontan. in Att. bellar. p. I.) cui maritus iracund. ingenio, cum merulas a se coemptas daret assandas dicens: *Assa nobis hosee turdos*, replicavit: *Merulas appellas turdos?* Respondit ille turdos esse. Negavit rursum illa et merulas esse contendit. Tum maritus eam pugnis operit. Anno vertente, cum rediret dies ille, memor verborum mulier: *En*, ait, *hic est anniversarius, quo me ob maledictas merulas obsevisti pugnis*. Tum vir: *Et adhuc negare audes fuisse turdos?* Nondum ergo cedentem iterum pulsavit. Ita quotannis eodem die, eum similiter loqueretur similiter vapulabat. Sic nimirum uxorem facile pacem cum maritis possent habere, si possent tacere. Tentavit aliquando Ctesiphon Sancratiaestes calcitranti mulæ recalcitrare, sed non mitigavit eam; imo ad impingendum calcis denuo irritavit, Plut. de cohib. ira. Idem expectet uxor, si in virum calaret.

III. Proderit etiam si bona sua inter se communia habeant, faciantque ne vir sit ebrius, mulier autem domi esuriat: vir bone vestiatur uxor vero sordeat; vir vino madeat, uxor aqua vitam toleret, etc. Ista inæqualitas, sicut et in aliis omnibus rebus contentiones excitat et discordiam. Huic ut occurrant conjuges, omnis sua communia habeant. Unde Plut. in præceptis connubialibus dixit: *Felix futurum conjugium, si meum et tuum absit*, h. e. si neuter conjugium suum esse aliquid dixerit, n. præcep. connub. Quia nimirum *meum et tuum*, est causa omnium contentionum. Unde duo illi senes apud Ruffin. in pp. apud Rosweidum, lib. III. contentionen inter se de latere uno, in medio posito, excitare non potuerunt, quia omnia sua communia haberunt, dicente enim uno: *Non est tuus, sed meus*; mox respondit alter: *Si tuus est, tolle illum*. Ac licet uxor plus dotis viro attulerit, quam ipse contulit, non ideo tamen dicere aliquid suum debet, quod non desinit appellari vinum, liceat plus aquæ affusum sit. Ita enim quantilibet plus attulerit femina, quam vir, hujus tamem redduntur omnia. Annon est cuneta, quæ sunt feminæ possidet, qui feminam ipsam possidet, quique ejus dominus est? Uxori autem dicitur: *Sub viri potestate eris*. Certe si cogitarent conjuges se unam esse carnem, viverent atque inter se sicut religiosi, qui nihil plane proprium, sed omnia communia habent. Insinuavit hoc illis Christus quando rogatus a Samaritana: *Domine da mihi hanc aquam, quæ scilicet extinguit omnem sitim*, respondit Christus: *Vade, voca virum tuum*, Jo. IV. *Quasi opus esset cum eo communicare*, inquit S. Chrys. Certe etiam Eva postquam gustavit pomum vetitum, et bonum esse sensit, mox communicavit viro suo, Gen. III. quasi metuens offensam si e tam bono fructu non vesceretur et maritus. Samson etiam ex invento in ore leonis melleo favo tres partes, si Josepho credimus, detulit ad sponsam suam. Quod etiam confirmat S. Amb. ep. LXX. cum ait: *Absolutus donum parentibus ac pueræ futurum*. Viderint igitur viri, qui rem familiarem in popinis absorbent, uxores interim et proles suas, fami, nuditati, atque extreme calamitati exponunt, quam inhumani et crudeles sint. Dici de illis potest, quod Thr. queritur Jeremias: *Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto*, qui, ut ait Job, c. XXXIX. dereliquit ova sua in terra, obliuiscitur quod pes conculcat ea aut bestia agri conterat. *Datur ad filios, quasi non sint sui*. Hujusmodi viri tragicum exemplum recensem Joan. Benedict. I. III. suæ summae, c. VII. in appendice his verbis: « Quid paucos ante annos homini lusui

et poculis addictissimo contigerit, hic minime prætereandum. Hic cum rem omnem in lusu et popinis consumpsisset, cum aliquando potitatem adivit uxor, rei domesticæ penuriam expositura: sed ille sic eam verberibus exceptit præsentibus compotoribus, ut ceu mortua sit tibi relicta. Misera tandem resurgit, ac domum reversa occurrit duobus puerulis qui hinc inde vestem illius apprehendentes vociferabantur: Da panem mater, mater fame perimus, jamjam biduum est ex quo nihil sumpsimus. Ah! pueri mei inquit mater undernam habebo? Pater vester expendit omnia. Quid agendum? Prestat semel mori, quam sic fame languere, et una morte mille mortes redimere. His dictis velut desperabunda statim arripit cultrum, quo utrumque jugulat. Sub crepusculum vero noctis maritus domum reversus ebrius et reliqua substantia exhaustus lecto se committit. Quem ut somno sopitum vidisset, eodem cultro, ea audacia, qua Judith Holoferni, etiam marito caput amputat. Morieris, inquit illa cum perversa tua vivendi ratio sit tui ipsius, et mea et puerorum nostrorum ruina. Re palam facta ipsa a magistratu comprehensa facti veritatem fatetur. Et tandem morti adjudicata supplicium libenter subiit, habita prius ad conjugatos monitione, ne sic sua in aliis et tabernis dissiparent. En ut gula cum alea his quatuor mortem intulerit. » Sic ille. Vide conjugati, quo tandem res deveniant, si lyra illa concordie conjugalis non bene concinnetur, si dissonare incipiat et tam insuavem tonum reddere! Quare obtestor vos ut nihil magis cordi habeatis, quam ipsam inter vos concordiam, quæ aliud non est, quam duorum cordium unio. Cum hac unione stabitis, et sine hac peribitis, ad instar Thyræ lapidis, qui cum integer est, natat, divisus vero mergitur, ut scribit Arist. de nat. rerum, c. XII. Plin. I. II. c. CII. Ita et Oseas c. X. præcedit: *Divisum est cor eorum, nunc interibunt*. Denique Christus ipse dixit: *Omne regnum in se divisum desolabitur*. Ut ergo stet regnum vestrum et familia vestra, estote concordes.

CONCIO XVIII.

AMOR ET CONCORDIA CONJUGALIS COMMENDATUR,
EX CHARITE PASITHÆA.

Plutarchus vir apprime eruditus et Trajani imp. prætor in Illyrico, dicebat (apud Stob.) *Illas felices esse nuptias, a quibus Charites non exulant*. Fuerunt autem hæ Charites tres germanæ sorores, Aglaia, Thalia, Pasithæa, quam alii

vocant Euphrosyne, ita exsculptæ ut sese multo brachiis complectentur, quasi colligatae et designabant gratiam et amorem mutuum, qui maxime requiritur inter sponsum et sponsam. Non abludit hæc gentilium doctrina a doctrina Salomonis, qui Pr. XVIII. ait: *Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum et hauriet jucunditatem a Domino*. In Græcis exemplaribus sic habetur: *Qui invenit mulierem bonam, invenit charites, h. e. gratias*, uti legunt Septuaginta interpr. Cæterum existimabant gentiles et tribus illis sororibus seu deabus solam Pasithæam, velut conjugatam nuptias et conjugii interesse ad sociandas corporum voluntates. reliquas duas dicebant esse virgines, ut tradit Seneca, I. I. de benef. c. II. *Pasithæam* vero ex Græco vocabulo vertas: *Omni deam*, quasi conjuges habeant omnes deas, adeoque omnia bona, si hanc sibi propitiari habuerint, quæ est amor mutuus inter illos. Hic enim si adfuerit in conjugio, adfert secum omnem felicitatem, concordiam imprimis, et quæ inde sequuntur bona. Hanc ego novi conjuges, invitandam vobis suadeo ad vestras nuptias. Sed quibus argumentis ei persuadebimus, ut veniat ad vos? Ut amor in conjugio vestro a vobis non exulet? Hoc nunc efficere conabimur.

I. Argumentum primum suppeditat apostolus ad Eph. V. ubi ait: *Virilis diligere debent uxores suas, uti corpora sua. Qui suam uxorem diligat, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed fovet et nutrit eam*. Quid hoc stimulo potentius: quis enim non amat proprium corpus et carnem suam? Quid non facimus, quid non expendimus, ut eam cibo nutriamus, ut sannam et salvam conservemus, ut infirmam sanemus? Atqui conjuges sunt duo in carne una, Gen. II. quia alter alterius corporis dominus est; et quia unam carnem scilicet prolem generant, et quia mulier e viro, et quidem ad ejus imaginem gloriosam formata est, teste eod. apost. ibid. *Vir est imago et gloria Dei, mulier autem gloria viri est*, h. e. gloriosa imago viri, ut ibi explicat Corn. a Lap. Sunt ergo quasi unus homo juris fictione scilicet, ac proinde debent esse unum quid amore et voluntate. Unde Pythagoras dixit, esse unam animam in duobus corporibus. Jam si, ut Ecclesiast. c. XIII. dixit: *Omne animal diligit sibi simile*, quanto magis conjuges, qui sunt unus et idem homo. « *Comparatus* suum, inquit D. Ambr. I. V. hexam. c. V. et bos requirit et equus diligit; et si mutetur alius, trahere jugum nescit compar alterius, et se non totum putat. Tu jugalem repudiás tuum, et putas sœpe mutantum? etc. » De graculorum amore mutue

dicimus proverbio: *Semper gracula assidet grāulo quod in suos gregales maximo ferentur amore.* Etenim si vel inanem imaginem in pelvi oleo pellucido plena intueantur, mox in eam descendunt, quasi ad sociam avem, ibique olei viscositate sine retibus capiuntur, ut auctor est *Ælian.* l. IV. c. XXX. Quod si aves istae vanum etiam sui simulacrum adeo diligunt, non pudebit conjuges, si se invicem non ament, cum vir in uxore, et uxor in viro cernat suam et gloriosam quidem imaginem, et præterea comparem suum, imo seipsum.

II. Alterum stimulum ad liberi in coniugio suscipiendi, quorum causa, si alia non esset, amare se mutuo deberent conjuges. Amore enim posteritatis suscipi matrimonium solet et debet, uti exemplo suo docet *Tobias jun. Tob. VIII.* Et tunc ait, *Domine tu sis, quia non luxuria causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in saecula saeculorum.* Tañi etiam mentis fuit Booz qui præcise ut semen fratri suscitaret, filiosque in Dei populo gigneret, accepit in uxorem Ruth, dives pauperculam: ideoque genuit ex ea filium Obed, i. e. subditum (idem sonat). Unde auctor imperfecti, hom. I. in *Matth.* ait: «Booz ex tali conjugi qualem virum genuit? Obed, qui interpretatur subditus. Nunc autem qui divitias eligunt et non mores: pulchritudinem et non fidem: et quod in meretricibus solet quæri, hoc in conjugibus optant: propterea non genuerunt filios subditos vel sibi vel Deo; sed contumaces et contra se et contra Deum, ut filii eorum non sint fructus justæ conjunctionis, sed poena condigna irreligiositatis ipsorum. » Ubi ergo abest amor conjugalis ibi abest dilectio posteritatis et honorum ac legitimorum filiorum, querunt diverticula ad alienas mulieres in præjudicium maximumque damnum filiorum: subtrahitur debitum conjugi, et eliditur posteritas in propaganda prole quæ est finis conjugij primarius, vel generant filii spurii, adeoque primam abjecti, contumaces improbi qui maledicunt suis parentibus.

III. Subministrat familia et res familiaris, quæ deficiente amore conjugium, et inde orto dissidio vel odio, necessario trahatur et revertitur. Nam: Quando domi inter maritum et uxorem fuerit dissidium, non melius se habebit domus, quam navis agitata tempestate, dissidente gubernatore ib eo, qui regit proram, ait Chrys. in ep. I. ad Cor. h. LVI. in c. XXIX. Gen. Quid enim quis dixerit, quomodo postea a famulis contemnuntur, a vicinis rideantur, quam foedum operentur? Nam neut quando gubernatores inter se dissident,

etiam qui in navi feruntur, periclitantur ac timent ne submergatur navis: ita et hic si discordes fuerint vir et mulier, verisimile est omnes, qui apud illos sunt, participes esse malorum. » Jam sicut in hujusmodi dissidio ac tempestate navis exoneranda est profecto omni commeatu et pretiosis mercibus, ita in coniugio litigioso et parta dilabuntur et omnia pessum eunt. Crederant Salomoni, qui *Prov. XIX.* hoc confirmat, haud dubie expertus, inter tot uxores quas induxit, rei familiaris dilapidator: *Tecta jugiter perstillantia, inquit, litigiosa mulier,* q. d. discordia inter conjuges similis est tecto perstillanti. Nam si tectum rimas habeat, et imbrum stillicidia admittat, non solum injucundam habitacionem domesticis facit, sed ipsam denique domum dum trabes et ligna sensim putredine consumit, in ruinam impellit. Idem experimur in corpore humano, cum enim humorum temperies et crassis vitiatur, ut prime qualitates pugnare inter se incipient, mox contabescit corpus, pallorem induit, et robur perdit, tandemque emoritur. Quasi primæ in domo qualitates sint vir et uxor, corpus est familia: quæ necessario in perniciem ruit si pater et materfamilias a se mutuo dissident. *Non est domus composita,* ait S. Aug. in *Ps. XXXIII.* ubi inter virum et uxorem pax nulla est.

IV. Quartum exhibet ipsum conjugii per se grave jugum, quod ex defectu amoris mutui, adeoque ex discordia multo gravius fit, unde in ipsos quadrat quod *B. Arsenio* inter alia hominum stulta opera ostendit hominem, qui cum fascem lignorum oppido gravem gestare non posset, adjectis lignis auxit et graviorem reddidit, apud *Rad.* in *viridario ss.* Gravem hominis sarcinam esse matrimonium etiam *Plato* indicavit, cum interroganti eidem, qui philosophiae operam dare voluit, an ad eum finem uxor ipsi duocenda esset, ita respondit: *Cum nescias te solum servare, an uxorem quoque super humeris te servaturum speras?* *Laert.* l. I. Quid igitur dicas de illis qui cum hac sarcina humeros suos jam onustarint, addunt onus oneri, dum in jurgiis vivunt, et conjugem non modo non amant, sed odio habent? Jugum sane est conjugium, unde et nomen habet. Verum Isa. teste, c. X. *Computretur jugum a facie olei,* q. d. si currus oleo inungatur, non difficile trahetur. In eo enim quod amat, aut non laboratur, aut labor amat, ait S. Aug. l. de virgin. Quas molestias, quos labores non devorant fratres, et quidem sine molestia causa liberorur, donec e sordibus eos educant? Pari modo conjuges onus conjugii non magno labore trahent, si se invicem ament. Exemplo est *Eduardi Anglorum regis filii uxor,*

*Hispaniarum regis filia, quæ cum maritus in itinere ad s. sepulcrum suscepto, insanabilem plagam venenato Mauri gladio inflictam accepisset, manantem quotidie ex ulcere mariti purulentum humorem lingebat, solius amoris melle conditum. Unde illi sanitatem, sibi immortalem ex amore conjugali gloriam peperit, *Causin.* l. VI. symb. Roder. sanit. p. CI. hist. Hisp. l. IV. Facile superabunt conjuges quamecumque novocantem fortunam, si amoris vinculo devineti sibi fuerint. Sin minus etiam secundantem ferre grave ipsis erit. Id quondam Leo Byzantius sophista Atheniensis exposuit; cum enim Athenas missus, ut populo tumultuanti concordiam suadet, prodiisset in suggestum corpore admodum pusillo, omnium risus subortus est. Ille vero fortuitam occasionem vertens in procemium: *Quid, ait, o viri Athenienses, si conspiceretis uxorem meam, quæ tam pusilla est, ut vix pertingat ad genua mea.* Ad hanc vocem, cum major adhuc populi risus sublatiss esset, subiecit: *At nos tam pusillos, si quando dissidemus, vix tota domus capit, concordes vero angustus capit lectulus,* Plut. in *præcep. polit.* et *Philost.* in *sophistis.* Hunc in modum loquitur etiam *D. Ambr. de Loth:* «Quia studio jam deflecti coepera patruo (Abrahamo) non capiebat eos terra. Nulla enim spatia possunt satis esse discordibus; quietis et pacificis etiam angusta abundant: dissonis moribus etiam spatiosa arctantur, » in l. II. de *Abrah. b. VI.* Ita si conjuges bene inter se convenient, quavis angusta domo et suppellectile bene contenti in magna pace vivent: sin vero male, nullibi eis bene erit, etiam in summis opibus, deliciis et palatiis.*

V. Incitamentum ad concordiam et amorem conjugibus jure merito esse deberet, quod inter alia, quæ Deo maxime placere dicuntur *Ecc. XXV.* *Sint vir et mulier bene consentientes.* Quis autem placere Deo non omnibus modis studeat? Quid non faciunt et patiuntur mundi ascelæ, ut vanam apud homines gloriam captent? Ut principibus viris placeant? Celebrantur e gentilibus conjuges aliqui, qui in stabili concordia simul vixerunt, uti *Albutius*, qui cum uxore *Tarentiana* viginti quinque et *Rubrius Celer* qui cum *Ennia* uxore annis quadraginta quatuor in summa pace sine ullo jurgio vixerunt, ut refert *Lud. Vives*, l. II. de *christ. fem.* Sed quid hi mercedis quid gloriæ consecuti sunt, nisi vanum hominum applausum? Nisi aliquam sui memoriam in libris conscriptam? Quanto majus est, quod assequuntur conjuges christiani, si bene inter se consenserint? *Magnum David brachium pro devicto Goliath fuit, audire: Ecce pl-*

ces regi, et omnes servi ejus diligunt te, l. *Reg. XVIII.* Quid erit vobis, conjuges, audire aliquid: *Ecce placetis Deo, et omnes sancti et angeli diligunt vos?* Ad hæc nonne Christus dixit: Si duo ex vobis consenserint in unum etiam de omni re quamcumque petierint, fieri illis a Patre meo, qui in celis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, *Matth. XVIII.* Majora longe sunt ista et plane incomparabilia bravia, vobis conjuges promissa, si, ut initio dixi, a nuptiis vestris *Charis Pasithæa* non abfuerit, amor inquam, et quæ inde nascitur, concordia. Sic felices erunt nuptiæ vestræ, felices progressus, felicissimus tandem finis.

QUALIS ESSE DEBEAT CONJUGALIS AMOR, DOCENT TRES CHARITES, INVITANDÆ AD NUPTIAS, EX CONSILIO SALOMONIS, PROV. XVIII. SUPRA EXHORT. XVIII.

Vidimus alibi ex *Plutarcho*, felices fore nuptias, si tres illæ sorores dictæ a gentilibus Charites, seu *Gratiae* ab iis non exularint; ad stipulante etiam *Salomone*, qui *Pr. XVIII.* asserit, sponsum invenisse Charites (juxta translationem *Septuaginta* interp. et *Græcum* textum) *qui inventit mulierem bonam.* Quod vero is de sponso dicit, idem ego de sponsa pari jure dico; invenisse eam Charites, quæ invenit sponsum bonum. Quare ut sint felices nuptiæ vestræ, quas nunc celebratis vos neonymphi, invitandæ vobis sunt tres illæ Charites, ita ab antiquis sculptæ, ut implexis brachiis mutuo se tenerent quasi inseparabiles, adeoque designabant mutuum amorem, qui intercedat necesse est inter utrumque conjugem, si prosperum habere successum nuptiarum velint. Cæterum amor ille non qualiscumque sufficit, sed trium illarum sororum nominibus et virtutibus exornatus est, una vocabatur *Aglæia*, h. e. *claritas*; altera *Thalia*, h. e. *viriditas*; tercia *Euphrosyne*, h. e. *lætitia*. His tribus conditionibus si conjugalis amor instructus sit, non dubitamus eum multam felicitatem conjugibus allaturum. Eas vero nunc explicemus

I. Adsit *Aglæia* seu *claritas*; et imprimis ita, ut amor ille non sit cæcus, qualis subinde repetitur in quibusdam viris, qui stulto ac cæco plane amore feruntur in uxores, ac tantum non insaniant: qualem se cognovisse refert *Senec.* (apud *Hier. I. I. contr. Jovin.*) Qui exiturus in publicum fascia uxor's pectus colligebat et ne in puncto quidem horæ præsentia ejus carere poterat,